# POEMATA SACRA, Latinè & Anglicè scripta.

MART. Epigr. lib. 4. Epigr. 83.

*Si nimis eſt legiſſe duos, tibi charta plicetur*
*Altera; diviſum ſic breve fiet opus.*

*CANTABRIGIÆ*,
Ex Academiæ celeberrimæ
typographeo. 1636.



# VIRO ORNATISSIMO HEN. SMITH

## S. S. THEOLOGIÆ PROFESSORI, COLLEGII D. MAGDALENÆ

Reverendo admodum Præfecto, & Procancellario celeberrimæ Academiæ *Cantabrigienſis*, hæc paucula Sacra dicat. dedicátq; *I. S.*

*Doctiſsime Procancellarie,*

PAucula his illevi chartis, nè tibi, nè lectori nimius ſim. Si deſipui, malim pareè quàm profuſé. *Paucula*, inquam, nempe ut præludii vicem obtineant. Eſt leve onus carmen; ſed nolim carminum faſce onerare paginas. Præferre ſoleo Artificem qui formicas exili fecit artificio, Pictori qui bovem ingenti mole. Rident hæc carmina, ſi Tibi arrideant: ſi illæſa judicium evaſerint

Tuum, ab alienis haud metuent oculis. Sub tegmine fagi cecinit Maronis Paſtor: liceat mihi ſub umbra faſcium tuarum modulari. Me forſan aliqui Cenſoriâ flagellabunt virgulâ, vernaculam linguam Romanæ ſociantem : indulgeant precor; chartaceo ſinant pariete dirimi amatorculos haud iſti abſimili qui Pyramum à Thisbe divulſit. Reprimo calamum: fruere ( Vir Doctiſſime ) hoc otio noſtro, & feriis tuis me non malè feriatum perlege.

*Studioſiſſimus tui favoris,*

JOANN. SALTMARSH.

Ad

# VIRUM DOCTISSIMUM

## GUILIELMUM GREEN, *in Artibus Magiſtrum, auſa eſt interpellare officioſa pagina.*

DUm repit liber hic ad veſtra volumina, quærit,
An vacat exiguis rebus adeſſe tibi?
Te ſalvere jubet charta ambitioſa leviſque:
Sed poterit votis prægravis ire meis.
Te veſtiget honor: tibi num latitare licebit?
Languebunt tenebris lumina tanta ſuis?

---

*Tutori ſuo* Magiſtro PULLEN.

POſt nullos venerande meos, te Muſa ſalutat:
En! tremit & geſtit; certat amore timor.
Tu docto nimiùm vultu ſpectare ſolebas,
Carmina dum foliis ſtant tremebunda ſuis.
Ingenioſa tuâ pupillâ flamma relucet:
Quàm metuit tantas pupula Muſa faces!

Prodit

Prodit te facies, animúsque in corpore lucet:
In qua te legi pagina vultus erat.
Ecce tuas animæ virtutes vidimus omnes:
Sic vetuit vestras gemma latere rosas.
Quàm facilè valeo ceras implere capaces!
O quàm de calamo plurima gutta cadat!
In vota effundor, sed vincula carminis obstant:
Hei mihi! non laxis gressibus ire sinunt.
Imperium angustum fuerit tibi pagina nostra:
Te haud circum chartæ scripserit ora meæ.
Errans sed calamus gestit te pingere: charta
Una hæc nominibus stat bene picta tuis.

---

*Viro erudito & amico suo*
Magistro Sugden.

MIgrant in nostras tua nomina, docte, tabellas:
Quæ latuêre animo, perlege scripta libro.
Hei mihi! sed tardâ calamus vos advolat alâ:
Hærent, nec pergunt sat properare pedes.
Indulgere moræ poteris, tecúmque revolvas,
Me *rem cunctando restituisse* tibi.

Ad

## *Ad eruditum Autorem, de libello.*

DE libro hoc paucis mea quæ ſit opinio pandã:
Eſt pius, eſt doctus: quid volo plura? Tuus.
Dúmque ſimul cautè pius & brevis eſſe laboras,
Tam pietate doces, quàm brevitate places.
Nulla Venus foliis petulans laſcivit in iſtis:
Non tamen hæc facies indè venuſta minús.
In toto minimum non cerno corpore nævum;
Ni nævus, nævum non habuiſſe, ſiet.
At ſileant laudes: * Οὐκ ἔστιν ἔπαινος ἀρίστων. * Ariſt. Eth.
Scripta probant doctum te tua, ſcripta probũ.
Macte bonis avibus, tua carmina prela fatigent;
Hiſce fatigari ſi modò prela queant.

## *Ad lectorem.*

CAndide quid dubitas accedere lector? in iſto
Singula ſunt verè pura, pudica, libro.
Accipe, Magdalinos non infimus inter alumnos
Uraniæ myſtes quas tibi præbet, opes.
Hîc nihil, auriculas quod poſſit lædere caſtas:
Queſturus tamen hîc nemo deeſſe ſales.
Nulla hîc, ipſe Cato niſi quæ daret oſcula Cenſor,
Ipsáque Veſtalis ſumere Virgo velit.
Pagina lectori ſuffundet nulla ruborem:
Spirat at æternum pagina quæque Deum.
Iſta legas, relegas, quiſquis pia carmina quæris:
Mellifluos verſus qui cupis, iſta legas.

STEPH. JONES, *Coll. D. Joann.*

SÆpe tuos calamo depinxi, Lesbia, vultus,
Suſpendíque comis carmina ſæpe tuis.
Carmine ſæpe orbes geminos miratus ocellos,
Orbibus his cecini me voluiſſe capi.
Sæpe genas ornare fuit mihi grata libido,
Appellare rubras blanda roſeta genas,
Et molles digitos mihi candida vinc'la vocare,
Carcerem & amplexum, quo bene vinctus eram
Sed pennâ calamus jam candidiore volavit:
Dedidicit tales Muſa pudica modos.
Quæcunque hinc calamo deſtillat guttula noſtro,
O Deus, ô veſtro Numine plena tumet.
Carmina nulla tibi, dum vivis, Lesbia, mittam:
Incîdam tumulo triſte poëma tuo.

POE-

# POEMATA SACRA.

Dixit Deus & facta ſunt omnia,
GEN. 1.

*Condidit Ore ſuo Deus omnia, Voce creavit:*
*Nec mea divinum Muſa tacebit opus.*

## Syllogiſmus.

*Eſt* Major *mundus*, Minor *eſt homo, pulchra* Figura *eſt*
*Hiſque* Modus: Medium *pendula terra tenet*
*En!* Præmiſſarum *mulier* Concluſio *facta eſt:*
*Illa prius didicit* Deteriora ſequi.

## In Arborem ſcientiæ boni & mali.

*INſignis Paradiſus erat geminâ Arbore notus:*
*Arbor erat* vitæ, mortis *& Arbor erat.*

## De lapsu primi hominis.

*Lapsus homo unde cadit? non cœlis ille, minúsque*
*Terrâ:* qui jacet hîc, non habet unde cadat.
*Tollere non miserum valet hæc fallacia lapsum:*
*Nempe cadebat homo lapsus & usquè cadit.*

---

## In Adamum se abscondentem inter arbores horti à facie Dei.

*Numinis incensi dum fervor torret Adamum,*
*Ramos umbriferos en subit, horte, tuos.*
*Abscondunt dominum viridi velamine frondes,*
*Dum reus ille putat se, sua furta tegi.*
*Seu levis aura movet, seu fructûs conscia rapti*
*Arbor, dat tremulis blanda flagella comis.*
*Constitit ille tremens, geminâque offunditur umbrâ:*
*Subtrahit ora dies, subtrahit ora Deus.*

---

## In mulierem ex costa factam.

*Dic latus, unde uterus factũ es? quæ semina fur-*(tim
*Ossibus hîc duris incaluêre tuis?*
*Quis Deus hæc sterilis naturæ vincula laxat?*
*Quavé Dea obstetrix? hoc peperisse fuit?*
*Quale patebat iter? nota dic quæ sanguinis extat,*
*Signa puerperii quæ sit, Adame, tui?*
*Nulla est, sed mulier sic nata est; credite. Quare?*
*Hæreat ut lateri conjugis illa comes.*

In

In Adamum & uxorem, quòd *ambo erant nudi nec erubescebant*, GEN. 2. 25.

*JUssit adhuc pietas pallescere candida; jussit*
*Vita verecundis intemerata malis.*
*Spirat adhuc Paradisus, adhuc sua lilia spirat:*
*Pingunt areolas alba ligustra suas.*
*Peccat Adam, facinus violatus sentiit hortus,*
*Conscia & ipse suis inficit ora rosis.*
*It pudor in vultus, & purpura fusa rosarum*
*Cœpit sanguineis prodere facta genis.*
*Vena fuit quondam proprio contenta canali,*
*Nec similis refluis mota tumebat aquis.*
*Sanguinis (heu!) sedes quæ nunc violentia turbat?*
*Nunc humana novus sævit in ora cruor.*

---

In gladium flammam vibrantem, custodientem hortum Eden.

*QUalis erat gladius?* Mors *in mucrone latebat:*
*Ardebat flammis sæva* gehenna *suis.*

---

Ad Adamum, in arborem Vitæ, & arborem Scientiæ boni & mali.

*DIc, quæ nunc animæ stillant de sanguine fructus,*
*Quem qui dente premet non moriturus erit?*
*Cur decerpebas non ex hac arbore fructum?*
*Hæc animam dedit, heu! perdidit illa tuam.*

## In Diluvium.

*Proh dolor! ecce patet* cœlum undique & undiq; pontus:
*Nam rerum facies fœda lavanda fuit.*
*Hoc te Diluvio vellem Phariſae fuiſſe,*
*Ut ſimul his undis ora manúſque lavet.*

## Cornix & Columba.

*Effuſa in pennam Corvix ingrata volabat:*
*Miſſa Columba volat, nuntia grata redit.*
*Diſpar par volucrum, mens illis diſcolor: indè*
*Alba Columba fuit, Corvus at atex erat.*

## Ad Noam de Columba.

*Neſcit muta loqui, frondem tamen ore reportat:*
*Verius haud potexat, ſi valet, illa loqui.*

## In Olivam detumeſcente Diluvio.

*Arbor merſa diu tandem caput exiulit undis:*
*Oſcula libabat latior aura comæ.*
O quanti amplexus & gaudia quanta fuerunt!
*Nam coma mox auram baſiat, aura comam,*

In

## In Arcum Pluvium.

*E Micat in cœlis* Arcus, *sed nulla* Sagitta:
*Tempore Diluvii missa* Sagitta *fuit.*

## Aliud in eundem.

*D Vm sole adverso lunatur flebile signum,*
*Guttarum in lacrymas agmina picta cadunt.*
*Heu! prodit quoties hæc roscida filia nubis,*
*Orbis Diluvii flet meminisse sui.*

---

## In Serpentem { decipientem, igneum, æneum.

*P Rimus erat monstrũ serpens, tum dæmon homóq;,*
*Humanos doctus voce referre sonos.*
*Pòst, genus exortum vibrans flammantia tela*
*Humana ignitâ cuspide membra ferit.*
*Hos naturâ parit serpentes, nunc opus artis*
*Nascitur, & serpens æneus ille fuit.*
*Vulnera sic serpens tulit, & medicamina serpens:*
*Natura Ars opifex æmula vincit opus.*

---

## In Serpentem æneum sanantem.

*Q Vicunq; aspiciet sanatus? Pharmaca vili*
*Venduntur: pretium luminis istud erit?*

*Anne*

*Anne repercuſſus radius vim deferat ullam?*
*Pyxide tam tenui num medicina latet?*
*Ille perit meritò, qui luminis oſtia claudit,*
*Quíque fores claudit, cùm ferit ipſa Salus.*

---

## In aquas mutatas in ſanguinem.

*NOn cæde erubuit*, (*memorat* miracula Mem-
*Murice nec ripis it gravis unda ſuis.* (phis)
*Unde cruor fluxit? nunquid nova vulnera ſenſit*
*Neptunus? vena purpura tanta ſua?*
*Mirac'lum hoc Moſis mirac'lo concolor extat*
*Chriſti: is enim* vino, *hic* ſanguine *mutat aquas.*

---

## In faciem Moſis coruſcantem, obductam velo.

*SIc pudibunda latet virtus velamine gaudens:*
*Oſtendit velum forma venuſta ſuum.*
*Sícque Deum cœli condunt, ſua nubila ſolem*
*Obducunt, gemmam capſula clauſa ſuam.*

---

## In faciem Moſis coruſcantem.

*UNde jubar cœleſte tuum dilabitur? unde*
*Irradiat vultus hæc nova flamma tuos?*
*Surripis æthereos furtivè ſedibus ignes,*
*Dum fingis ſtatuam gens maleſuada ſuam?*

*Dat*

*Dat Deus* erectos ad ſydera tollere vultus.
*En! homini in vultum ſydera ſponte cadunt.*

---

## In Cainum fratricidam.

SPernitur oblatum, fratrem mactare parabat:
*Victima nec certò gratior ulla Deo.*

---

## In pluviam ignis ſuper Sodomam.

UNde hîc ſubtilis flammæ deſcenſus ad imas?
*Facta eſt flamma levis (ne tibi) pœna gravis.*
*Quàm pulchrè aptavit vindictam providus ultor!*
*Æquum eſt ut flammis impia flamma cadat.*

---

## In Hagar, cùm in deſerto deficiente ex utre aquâ flebat.

CUr flebas mater? fontem ſitibunda petebas:
*Eccè oculis fons eſt, nec tamen ipſa vides.*

---

## In Jacobum, cùm tunicam Joſephi tinctam hircino ſanguine aſpexit.

ECce ſenem, juvenes, quem rubra ſophiſmata fal-
*Siccine? deluſum num decet eſſe patrem? (lunt!*

*Finge-*

*Fingitis hircino veſtes in ſanguine tingi,*
*Quo tingenda priùs pectora veſtra decet.*
*Actorum mala gens, queis prima tragœdia debet!*
*Fabula erat factum, ſcena ſimúlque fuit:*
*Fabula, dum pergunt hæc ementita referre,*
*Pectore quæ faciunt vulnera vera patris:*
*Scenáq; dum Jacob lacrymarum immergitur undâ,*
*Flens verè nati funera nulla ſui.*

---

## In legem promulgatam in monte Sinai.

*Et tremebat totus ille mons valde,*
EXOD. 19. 18.

*Mons tremit, & populus, tremit ingens machina (cœli:*
*Heu! legem violat gens mala, nulla tremit.*

---

## In Deum loquentem in monte Sinai.

*Rex regum de monte tonat per nubila & ignes:*
*Certè non hominem vox ſonat illa, Deum,*
*Sic adblanditur * Regi levis aura Quiritûm:*
*Vera erat hæc hominis vox, erat illa Dei.*

* Herodi peroranti, Act. 12.

---

## In Iſraelitas trajicientes mare diviſum.

*Fluctus diſſiliunt, ſpumans ſtat murus utrinque:*
*Non tangent turmas ulla pericla pias.*

*Nam*

*Nam mare fit portus, facti sunt littora fluctus:*
*Undáque quàm tutò prætereunda fuit!*

---

In Israelitas murmurantes & petram fundentem aquas, percussam virgâ Mosis.

*NOn stillant lacrymæ de durâ gentis ocellis:*
*E durâ silicis pectore lympha fluit.*
*Res mutantur, erátq; silex tum durus ocellus,*
*Et lacrymosa silex mollis ocellus erat.*

---

In Petram.

*VIrga potens postquam petram percusserat ictu,*
*Percussa in vitreas petra liquescit aquas.*
*Dimidiata loquor miracula; pectore Christi,*
*Qui* * lapis & petra *est, sanguis & unda fluunt.*

*Angularis, 1. Pet. 2. 6.

---

In Deum igneo dumo apparentem.

*CUm vestire Deus flammis sua Numina gestit,*
*Cur nos algemus, Numina dum colimus?*

In

## In flammeum dumum.

*Aere non, terrâ, nec aquâ, Deus igne micabat:*
*Flammeus hoc dumus, flammea lingua docet.*
*Aëre verborum, non terrâ corporis, undâ*
*Non oculi, mallet pectoris igne coli.*

## Dumus ad ignem.

*Si, Deus (ôl) fuerim periturus viribus ignis,*
*Munus erit nobis igne perire tuo.*

## In Mosem eminus intuentem terram Canaan, Deut. 3.

*Vidit, non lambit fugitivam Tantalus undam:*
*Sic Cananæa sacer mella Propheta videt.*
*Constitit, at longè glomeratas viribus uvas*
*Vidit, & arboribus pendula poma suis.*
*Inscripta est oculi parvo sacra terra libello:*
*Hæc, Moses, tecum dicere verba potes,*
Parve, nec invideo, sine me liber ibis in *oram:*
Hei mihi quòd domino non licet ire tuo!

## In solem stantem, Josh. 10.

*Frustra tentet equos Phœbus cohibere volantes,*
*Corripiens validâ frana coruſca manu.*

*Stant*

*Stant prece ſpumigeri: novus hæc auriga quadrigæ:*
*Hoc ego ſolſtitium, Phœbe, vocabo tuum.*

---

## In Lothum fugientem, & uxorem mutatam in ſalis ſtatuam.

*ECce! Duo fugiunt, curſu tamen impare gaudent:*
*Effugit hæc ſulphur, digna perire ſale.*
*Reſpiciens manſura ſtetit, vir cautus abibat:*
*Plus habet hæc ſtatuæ, plus habet ille ſalis.*

---

## In Davidem intuentem & Bathſhebam lavantem.

*DUm Regis geminâ vaga ludit imago feneſtrâ,*
*Quàm fuit hæc dominæ nuntia blanda ſuæ!*
*Venæ febricitant, errant in pectore flammæ,*
*Dum pectus gelidis illa lavabat aquis.*
*Ah properè nimis, ah properè nimis illa lavatur:*
*Nam nondum ſordes traxerat illa ſuas.*

---

## In Abſolonem de quercu crinibus pendentem.

*EN! ſylvam ſylva arripiunt, & brachia rami,*
*Atque comæ humanas arripuêre comas.*
*Vertice pendebant crines, de crinibus ille:*
*Par ſic offenſæ pœna relata ſuæ.*

In

## In Principes compingentes Danielem in antra leonum.

*Parte homo quàm meliore feras supereminet*
*Nam superant ipsas hi feritate feras. (omnes!*
*Hic pœnas superat vates & Persica jura:*
* Non violanda *subit* non violandus homo.

* Jura Medorum & Persarum.

---

## Ad Danielem.
*Obsignabat Rex ora antri.*

*Obserat ora antri Rex, & Deus ora leonum:*
*Janitor hic major, janitor ille minor.*
*Non penetrare intus rabies humana valebit,*
*Nec penetrare foras illa ferina valet.*

---

## In Eliam igneo curru sublatum.

*AD terram misit nunquid suo plaustra Boötes?*
*Non, sed erat magni flammea sella Dei.*
*Roma superba tuam noli jactare Curulem:*
*Hic Vates vestro Consule major erat.*

---

## In imaginem quam Michal posuit strato, loco Davidis.

MOrtis imago sopor? *nullus sopor hîc, sed ima-*
*Hæc vita, tristis mortis imago sopor.* go:
Creatio

## Creatio lucis, diei, noctis & crepuſculi.

*NOn abs occaſu ſed lux incepit ab ortu:*
*Nempe ab inocciduo lux fuit orta Deo.*
*Quàm ſplendet, lucis Genitor, tua lucida proles!*
*O lux æterna lucis imago tuæ!*
*Funditur ut primùm, refluis nox avolat umbris,*
*Regnáque mox tenebris quærit opaca ſuis.*
*Inſtat lux, victóque micans exultat in orbe*
*Sparſa, ſuo nec adhuc orbiculata throno.*
*Mox duo regna creat ſimul & diſterminat autor:*
*Spiſſas nox tenebras, lux regit alma diem.*
*Regna duo hæc dirimunt dubia confinia lucis,*
*Quæ bene nec noctem credo nec eſſe diem.*
*His Cœli ac Erebi duo ſunt contermina regna;*
*Lux ſine nocte Erebi, Nox ſine luce Dei.*
*Regna duo hæc dirimit (ſi Romæ creditis) illud*
*Quod bene nec Cœlum credo nec eſſe Erebum.*

---

## In manum Jeroboami arefactam dum in Prophetam extenditur.

*MEns agit in facinus, perit omine dextra ſiniſtro:*
*Cur contra ſuperos pugnat inepta manus?*

---

## In ferrum natans, 2. REG. 6.

*QUis ſurſum arcanus ferrum grave ſpiritus egit?*
*Oblitum innati ponderis alta petit.*

*Credite,*

*Credite, vox habuit plus ponderis edita vatis,*
*Ponderis & ſenſit lamina merſa minus.*

---

In ſagittas quas emiſit Jonathan.

*TEla volant, bene docta volant trepidantibus aliis:*
Non furor hæc, ardens arma miniſtrat amor.
*Talia lunato jaculatur tela Cupido*
*Arcu, ſic Jonathan nempe Cupido fuit.*

---

In Davidem pulſantem cytharam,
1. SAM. 16.

*THreïcius vates dum pectine pulſat eburno,*
*Demulcet ſylvas, flumina, ſaxa, feras.*
*Dum pulſat vates ſua fila ſonantia, Regis*
*Irati placidâ mollìit ora lyrâ.*
*Major erat vates noſter leo, Caucaſus, amnis:*
*Irato eſt quævis bellua Rege minor.*

---

Ad Saram ridentem.

*RIdes? ſed pueri fletum elabentis ut audis,*
*Mox puto te riſus pœnituiſſe tui.*

---

In Jacobum luctantem cum Deo, GEN. 32.

*EUge pugil! te manſit honor dum mancus abibas:*
*Sic bello è ſacro nempe redire decet.*

In

## In Abrahamum offerentem filium in holocaustum.

*ECce senex facto pius & sceleratus eodem!*
*Est fecisse scelus, quod voluisse pium.*

## Domina Josephi vestimenti laciniam lacerat.

*DIc, quo consilio vestem lacerare volebat?*
*Palliet ut lacerâ crimina parte sua.*
*Vestis quàm dominus citiùs temeranda pudicus:*
*Dissuit en vestem, ut consuat illa dolum.*

## Sara dixit marito, *Ingredere ad ancillam.*

*DIxit*, Ad ancillam ingredere, *uxor chara ma-* (rito:
*Zelotypa at contrà clamitat*, Egredere.

## In Jacobum qui duram servit servitutem septem annorum, ut duceret Rachelem.

*QVàm tedas Hymenæe tuas hæc tædia vexant!*
*Quàm languet miseris Pronuba Juno moris!*
*Quid nostræ ætatis faciet generosa juventus,*
*Si subeunt sponsæ tædia tanta suæ?*

Sententia Solomonis de infantulo.

*Cujus erat puer hic, Rex* definire *nequibat:*
*Ut litem dirimat,* dividere *ille jubet.*

---

In Noam inebriatum & nudatum.

*En! resupinatur genialis consitor uvæ:*
*Sospes* aquâ, vino *mergitur ille suo.*

---

Lis meretricum de infantulo.

*Quæritur, huic qua mater erat; nova quæstio fervet:*
*Anxia sed magis est quæstio, quis pater est.*

---

Uxor quæ adulterii arguebatur, aquam amaram combibebat.

*Uxor,* adulterium *cùm dicitur esse* voluptas
Dulcis, amara *fuit* pœna *bibenda tibi.*

---

In Balaam verberantem & asinum loquentem.

*Terga premit vatis lentè gradientis asellæ;*
*Hæres, nec vetitâ pergis aselle viâ.*

*Savis*

*Sævit inhumanus, vocem fingebat aſellus*
*Humanam: hic hominis plus habet, ille minus.*

---

## In Philiſtæum, cujus frontem David percuſſit lapide.

FRonti nulla fides. *Quem non lethalis arundo*
*Figere, mox figit * limpidus ille lapis.*
Non ſignare diem poteras meliore lapillo:
*Parve, cano ferula magna trophæa tua.*

* S. Hieronym.

---

## Ad Moſen infantulum in fiſcella ſcirpea fluctuantem.

M*Urmura nutricis crepitantibus unda lapillis,*
*Atque imitata ſuis (ecce!) ſuſurrat aquis.*
*Nullus erat præter pueri ſuſpiria ventus:*
*Et ſolùm lacrymis naufragus ille fuit.*
*Sic latuit Nilo Moſes, nec monſtra timebat:*
*Hoc majus monſtrum quàm crocodilus erat.*

---

## Ad Belſhazzar, de manu ſcribenti.

D*Extra an læva rogas? ſi mens non læva fuiſſet,*
*Ex ſcripto lævam jam liquet eſſe manum.*

Aliud.

NOn pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier,
*Indigitant digiti triſtia fata tibi.* (Hic eſt:

---

Ad Oziam, cùm adoleret incenſum domino, ſtatímque orta eſſet lepra in fronte ejus coram ſacerdotibus.

R*Ex procul abſtineas, tu ſacras polluis aras:*
*Thure tuo ſcelus eſt hoc voluiſſe pium.*
*Quâ fronte aggrederis? dic. Dicam,* Fronte leproſâ.
*Officio nimis hoc officioſus eras.*

---

In ruinam turris Babel.

NOn Deus immeritò ferit hæc ſublimia: geſtit
*Vertice cur cœlum terra ferire ſuum?*

Aliud.

A* Linguis *turris quæ primum ceperat ortum*
*Infauſtum,* linguis *hen cadit illa ſuis.*

* Ædificemus.

---

In ſolem retro euntem tempore Ezechiæ, Isa. 38.

R*Etro redit Phœbus verſis agitatus habenis,*
*Umbrâ quem ferunt gnomo referre ſuâ.*

*O mihi* præteritos referat ſic Juppiter annos!
*Sic eſſet vitæ longior umbra meæ.*

---

## In crinem Samſonis raſum, Jud. 16.

AUra *dolet, quòd per nemus hoc non illa ſuſurrat,*
*Mœſto vicinis murmure nota comis.*
Colla *dolent, quæ jam nulla lætantur in umbra,*
*Et quæ ſub nullo tegmine tuta jacent.*
Aura *agit hoc facinus, vox inſidioſa puellæ;*
*Et* colla, *heu! Dalilæ candida colla ſuæ.*

---

## In Naaman in templo Rimmonis adorantem.

FIctitium *in templo veneratur poplite numen,*
*Pectore dum coluit Numina vera ſuo.*
*Ah plures verum venerantur poplite Numen,*
*Pectore fictitium dum coluêre deum.*

---

## In Nabothum injuriè cæſum lapidibus.

NOn *ſatis eſt vitis ſanguis, niſi vinitor ipſe*
*Sanguine fata uvæ non redimenda ſubit?*

## In Jonam in alvo ceti.

*Piscis, ut esca solet, vates descendit in alvum,*
*Quâ via dejectis lubrica nota cibis.*
*Cur vetus, ut quæram non est, consultat aruspex*
*Exta: loca hæc vates interiora colit.*

## Aries in vepribus,
### Gen. 22.

*Laniger â jam matre satum non teduit ara,*
** Agnus & ipse Dei cùm moriturus erat.*

* Christus.

## In Mannam cadentem.

*Ambrosiam Deus (ecce!) suam devolvit ab alto:*
*Grandinis ut, manna dum cadit alta seges,*
*Imber (mirâc'lum) qui fœcundare solebat*
*Tellurem in messem,* candida messis *erat.*

## In oleum viduæ, quod Helisæus adeò in vase scatere fecit.

*Vas olei, viduæ res dum fuit arcta misella,*
*Arcana in pateram stillat oliva suam.*
*Sic dum parva suo donat munuscula vati*
*Prodiga, non* oleum perdidit *aut operam.*

Christus

## Christus & Elias.

*AD loca vectus erat* nebulâ *cœlestia Christus:*
*Expectant omnes* ignibus *hunc reducem.*
Ignibus *ad loca vectus erat cœlestia vates,*
*Jampridem* * nebulâ *quem rediisse reor.*

* Judæi adhuc expectant Eliæ adventum.

---

## In Thamar, quam postquam Amnon vitiaverat, odio habuit.

*ERubuit virgo veneris mox conscia pravæ:*
*Has subitò natas irrigat imbre rosas.*
*Odit amator eam: magnum hoc* odisse *fatebor*
*Crimen, sed gravius crimen* amâsse *puto.*

---

## In pueros vino & dapibus depastos, Danielem, Mishaelem, & Azariam legumine & aquâ, impetrante Daniele.

*REgia progenies dapibus nutritur opimis,*
*Et sua jucundâ guttura vite lavat.*
*Vescitur hæc tenui formosa legumine pubes,*
*Vulgarísque levem frigerat unda sitim.*
*Gratia quanta tamen forma luméng, juventæ*
*Vultibus atque oculis emicuêre suis!*
*Aut Vates hic mutat aquas in dulcia vina,*
*Aut vinum in gelidas, quod puto, mutat aquas.*

In calvum senem, cui illudebant pueri dicentes, *Ascende calve*,
2. Reg. 2.

O *Multùm venerande senex hoc nomine* Calve!
*O vertex nullis quàm venerande comis!*

---

In Gedeonis roscidum vellus,
Jud. 6.

H*Oc dicam vellus* tacitarum vellus aquarum:
*Tale haud Cæsareo credo madere sinu.*

---

Ægyptii ad tenebras spissas.

P*Hosphore redde diem: tam crassâ nocte latemus,*
*Ingeminare placet*, Phosphore redde diem.

---

Ad Esau qui primogenita acceptâ
* coctione vendidit.

* D. Hier. transl.

E*N! emit tua jure, tui bona coctio fratris:*
*Hinc* decoctoris *nomina digna trahis.*

---

Ad Ægyptios de tenebris.

Q*Vot noctes, miseri, in vestras coiere tenebras!*
*Quanta oculis, animis, nox Erebúsq; natat!*

*Nox*

*Nox oculis, nox quam lumen radiare negabat:*
*Nox animis, Numen quam radiare negat.*

---

David in ſpelunca præſcindit Saulo fimbriam chlamydis.

O *Miſerata manus, quæ non mox enſe recîdit*
Vitæ, *ſed* chlamydis *ſtamina ſola ſuæ!*

---

In inſidias Danielis pulvereas.

PUlvere *quàm bene veſtigantur* pulvis & umbra!
*Fixa manent alto pulvere ſigna pedum.*
*Diſcrimen capitis merito mala turba ſubibat,*
*Prodere quam taciti ſic didicêre pedes.*

---

Creatio ex nihilo.

E *Xnihilo? tua* ſcire aliquid *ſit laurea lector:*
*Nam mea longè alia eſt laurea,* ſcire nihil.

---

In Jacobum pernoctantem.

C *Orpore defeſſo non preſſit eburnea ſtrata,*
*Non ille aurato tegmine veſtit humum.*
*Stragula nulla tegit quam byſſina fabula pingit,*
*Quam decorat variâ diſcolor Iris acu.*

*Tegmen*

*Tegmen ſtellatum tegit hunc, & cærulus æther;*
*Et lapidem capiti ſuppoſuiſſe ferunt.*
*Compoſiti juvenis mentem petit angelus hoſpes,*
*Et noctis tepidum roſcida gemma ſinum.*

---

## In Samſonem offendentem favum in viſceribus cæſi leonis.

*INtonſi pugilis cædebat dextra leonem:*
*Condunt in reditum ſedula turba favum.*
*Multum aggreſſuro quæ fellis habere videntur,*
*Si victor ſubigat, præmia mellis habent.*

---

## Ad Naaman ſe lavantem in flumine Jordani.

*Nunquid non ſunt meliores fluvii Damaſci?*

*JOrdanis, tuus it num rivo purior omni?*
*Sanior ibit aquis unda, Damaſce, tuis?*
*Inter vulgares labuntur pharmaca ripas?*
*Heus, tua non ratio eſt, aſt adhibenda fides.*
*Crede, lava: fidei plus prodit nempe aqua, lepram*
*Tam confidenter dum lavat illa tuam.*

---

## In Michaam qui argentum dedit Levitæ.

*ILle ſacerdoti ſolvit, jam ſolve ſacerdos:*
*Officium retines, munera curta tenes.*

Hoc

*Hoc ſacrum officium jam penè in munus abibit,*
*Et ſacrum munus (credite) munus erit.*

---

In hederam ſuper caput Jonæ fuſam
& raptim exareſcentem.

*VEr fuit una dies, æſtas, autumnus, hyémſque:*
*Sic fluxit fallax gloria, raptus honos.*
*Conquereris quòd tam brevis eſt hæc gratia frondis?*
Expectes ævum ſic properare tuum.

---

Ad Davidem ſcribentem ad Joab de Uria,
2. SAM. 11.

*TRiſte omen! digitis cecidit neq; penna remiſſis,*
*Stat neq; membranâ gutta cruenta tuâ.*
*Scribe, agè; ſed nullam hic interſeris ipſe ſalutem:*
*Non* ſalvere *jubes*, perdere *ſæve jubes.*

---

Ad Uriam Davidis epiſtolam deferentem ad Joab.

*SCriptũ quod geris hîc* mors ultima linea *claudit:*
*Inq; manu fuerat jam periiſſe tibi.*
*Te cecidiſſe ferunt hoſtilis cuſpide teli:*
*Cuſpide ſed calami te cecidiſſe puto.*

Ad

Ad Dathanem, Korachum & Abiramum.

*Hoc nôſtis miſeri*, Facilis deſcenſus Averni:
*Hoc ignorâſtis*, Sed revocare gradum.

Aliud.

*Corpora ſola jacent non exanimata ſepulchris:*
*Condita ſunt tumulis corpora viva ſuis.*

Lex umbra.

*Corporis umbra comes: lex qualis dicitur umbra?*
*Nam fugiens, Chriſti noluit eſſe comes.*

In fornacem ardentem, in quam Shadrach, Meſach & Abednego conjecti fuerunt.

*Flant indigenas terra, aër, unda; ſed ignis*
*Nullos: en flammas qui coluêre ſuas!*
*En! alacer variis laſcivit motibus ignis,*
*Dans circum collis oſcula blanda ſacris.*
*Ecce! per ora errat multa ambitioſa favilla:*
*Ora & dum lambit ſingula, ſydus erat.*

FINIS.

# POEMS
## UPON SOME OF the holy raptures of DAVID.

Printed by the Printers to the Universitie of *Cambridge*.
MDCXXXVI.

# TO THE RIGHT WORSHIPFULL SIR THO. METHAM MY HONOURED FRIEND, and his vertuous Lady, the Lady METHAM.

Sir,
Madam,

*PArdon; it is a dutie that enflames (names).*
*And makes me gild my paper with your*
*Nor (honour'd Pair) can't a dishonour seem*
*To grace into the world a holy theam.*
*I will not build a paper wall betwixt*
*You and your Lady: your two souls are mixt*
*In essence; vain then to divide this pair,*
*When spirits most indivisible are.*
*Yet I will act the Chymist; they have art*
*Which can unmingle essences, and part.*
*I'le take you two asunder with a pen,*
*Yet so as that I'le mingle you agen.*
*Sir, you have been a Courtier long: the Court*
*Did almost snow upon your head, not hurt*
*Your candid soul; and, which I most admire,*
*You have the art, the vertue to retire;*

*And not, as ſome, who like a meteor blaze*
*Of exhal'd complements: no, no, your dayes*
*You happily divide in equall ſort,*
*Sharing to th' Countrey half, half to the Court.*
*Let on your thoughts my meditations wait,*
*Which now triumph they'r born to ſuch a fate.*
*Nor, Madam, are you by my pen forgot:*
*Yet to your beauties ink were but a blot.*
*What? ſhall I paſſe like lightning by? we ſay*
*Objects of worth do court a longer ſtay.*
*Let me ſurvey, admire, commend: You are*
*The true* Pandora, *you the wiſe, the faire,*
*The eloquent* Pandora. *Would you know*
*That Lady? ask the gods, they did beſtow*
*Themſelves on her:* Venus *did, as they feigne,*
*Dwell in her features,* Pallas *in her brain,*
*And nimble* Mercury *lodg'd in her tongue:*
Apollo *in her voice breath'd when ſhe ſung.*
*Then may my Muſe, to adde unto your ſtate,*
*Like a poore virgin in your chamber wait.*
*I've drawn ſome lines betwixt you, but now deigne*
*That I may tie and twiſt you up again.*
*The traverſe of my verſe remov'd (bleſt Paire)*
*Meet and unite like to divided aire.*

Your humble ſervant

JOHN SALTMARSH.

---

POEMS

# POEMS
## UPON SOME OF THE HOLY RAPTURES of *DAVID.*

### Meditation I.

*By the rivers of Babylon there we ſat down, yea we wept,* PSAL. 137.

SAd poſture! *ſat* and *wept*: yet from your eyes
Runne teares: oh how your *fountains* gently vies
With *rivers*, teares with waves, as if theſe drops
Meant to outrunne thine, Babylon! No ſtops
In this ſad Muſick? how theſe mourners ſeem,
As though they wept diviſion with thy ſtream!
Why weep ye o're theſe banks? ſhould we ſuppoſe
Theſe rivers ow their current to your woes?
Or of your joyes were ye ſo long forſook,
Ye came to drown your ſorrows in this brook?

Oh how theſe loving rivers would be one
And mingle waves with thine, O Babylon!
